





1671, 23 29 23

CHRISTO REGENTE!

*Decreto & Autoritate illustris & gratiosissimæ Facultatis Medicæ in Athenæo Salano florentissimo,*

MODERANTE

VIRO

*Nobilissimo, Excellentissimo atque Experientissimo*

**DN. JOHANNES THEODORUS SCHENCKIO, Med. Doctore longè celeberrimo, Theoretic. P. P. famigeratissimo,**

**DN. PATRONO AC PROMOTORE ÆVITERNUM DEVENERANDO,**  
Hanc

**DISSERTATIONEM INAUGURALEM**

*De*

**ARTHRITIDE,**

*PRO*

**Supremis in arte medicâ Honoribus, Privilegiisque DOCTORALIBUS**

*more majorum solenni ac legitimo consequendis,*

*ad diem Novembris, M. DC. LXXI,*

**IN AUDITORIO MAJORE**

*horis pro- & pomeridianis*

*Publico Examine submittit*

**CHRISTOPHORUS Richter/**

*Sitta-Lufatus.*

**JENÆ, Litteris NISIANIS.**



CHRISTO REGENTE!  
Decreto & Auctoritate Illustris & gra-  
vissimae Facultatis Medicae in Abo-  
neo Salono forensium,  
MODERANTE  
VIRO

Dr. JOHANNIS THEODORO  
SCHEENCKIO, Med. Doctore longè celeberrimo,  
Theoretico, P. P. singularissimo,  
PATRONO AC PROMOTORE VITAE INIM DEVENIENDO,  
Hanc

DISSERTATIONEM IN ALGURALEM  
ARTHRITIDEM

PRO  
SUBLICIS IN ARE MEDICIS HONORIBUS PRIVILEGIISQUE  
DOCTORALIBUS  
more majorum solenni ac legitime consequendis,  
IN AUSTRO-MAGORI  
Publico Examinis subactis  
hodie pro & promissis

CHRISTOPHORUS SCHNEIDER  
Sine Interitu

GENAE, Lincei NISIANNIS





CHRISTO REGENTE.

DISSERTATIONIS  
DE  
ARTHRITIDE,

PROOEMIUM.

**A** B innumerabilibus & atrocissimis miseriis & calamitatibus divexari mortales, omnes uno ore confirmabunt. Modò perpendatur cujuslibet vita, status ac conditio, & ubique reperietur ingens confluxus ærumnarum, anxietatum, adversitatumque.

Missis autem hic omnibus aliis curis & iufortuniis, quæ toti humano generi superflue solent contingere, saltem ad considerationis incudem revocabimus id, quod ad morbos & dolores spectat, quippe qui nos in hâc miseria-

rum valle degentes, sine discrimine, sit etiam  
qui sit, truculento modo, & crudeliter inva-  
dere planè non verentur.

Quidam enim illorum hostium, imma-  
nitate suâ, summitatem structuræ humanæ se-  
demque rationis infestant, & ibi spiritus vario  
modo disturbant. Isti fortitudine suâ castel-  
lum vitæ irrumpunt, illudque succi vitalis fer-  
mentationibus vel tumultuantibus ebullioni-  
bus devastare, & febrilibus æstibus comburere  
conantur.

Aliud horum agmen, in aliam conjura-  
vit perniciem. Atque inter hos abdicatissimos  
hostes non infamam sibi sellam posuit impu-  
dens ille, tam potentissimorum Regum &  
Principum, quam aliorum inferioris condi-  
tionis hominum afflictor, ARTHRITIS.

Hic, inquam, afflictor, quantos ineffabiles  
cruciatus & molestias faciat, ii satis experiun-  
tur, apud quos sedem fecit.

Cùm igitur jam de eo agendum, in animo  
quidem conceptum, sed illud conceptum ar-  
duum opus sit, omnino necessum erit, DEI  
TER, OPTIMI MAXIMI ut solius curato-  
ris & veri adjutoris implorare auxilium, ut EO  
ducente viâ tutâ incedi possit!

CAP-

3.  
CAPITE PRIMO

traditur

Όνομαλογία.

**A**rthritidem nomen suum fortiri *ἀρθρις* id est articulo, (ubi tota ossium & earum partium quæ ipsum articulum conjungunt & ambiunt compages intelligitur) & in genere de articularibus omnibus [suis quidem speciebus competentibus] doloribus dici, *annuente etiam Aretæo de diurno lib. 2. c. 12.* dicente, quod sit: *ἕρως ἀπαντῶν τῶν ἀρθρῶν πόνος*, communis omnium articularum dolor, nemini erit nescium. Cur autem generalis dolor hic arthriticus sæpè & communiter speciali illo nomine, *Podagra*, indigetetur, rationem ante *Cratonem, consiliorum suorum 253. Cardanum in laude podagrae*, & alios, *Galenus affert l. 6. aphor. 28.* quando scribit: *eos, qui arthritide, id est, omnium articularum doloribus infestantur, ut plurimum fieri prius podagricos, & quidem primò sentientes in pollice pedis.* Verum enim est, rarò, cum alii articuli afficiuntur, pedes esse immunes; sunt enim præ cæteris partibus, isti in crebriori & majori motu, quo humores vitiosi ad eos trahuntur; deinde à caloris fonte remotiores sunt pedes, Natura autem res noxias ad remotas & extremas partes, utpote habentes spiritus non tam copiosos, ideoque ad defluxionis resistentiam nõ adeò aptos, protrudere solet. Nõ semper tamè hoc fit, sed apud quosdã Arthritis initium facit in *manu*, sæpiusque eam initio invadit, & dicitur *Chiragra*; apud aliquos in *coxã*, & ibi nomè habet *Ischiada*; apud quosdam in *Genu*, ubi appellatur *Gonogra*; apud nonnullos in *pedibus*, & *Podagra* nuncupatur &c. Qualia quoque [addito nimirum affectarum singularum partium denominationibus, vocabulo *ἀγρᾶ*, h. e. captura, cum quis captus, artibus libere uti non possit] sinxit *Ambrosius Pareus de Arthrit. cap. 1.* malum hocce hærens in *articulo maxilla*, *syagonagram*; in *cervice*, *Trachelagram*; in *spinã dorsæ*, *Rachysagram*; in *humero*, *Homogram*; in *cubito*, *Pechyagram* nominans. Quæ vocabula tamen usu hodierno tam trita non sunt, nec apud Græcos occurrunt.

A 3

runt.



4  
runt, quamvis illi passim doceant: arthritidem pluribus in partibus generari posse; videturque ab illis ad Latinos devenisse & morbum & nomen. *Plinius enim Hist. natural. lib. 26. cap. 10. scribit: Podagra, morbus varius solebat esse non solum patrum a-*  
*porumque memoria, verum & nostram, peregrinus & ipse.* Et si antiquitas fuisset Italiae; forsan etiam ipsi nomen formatum esset. Invenitur etiam apud eundem *l. 27. c. 1. vocabulum mentagra,* quod non est eruditis in usu, neque ad arthritin exprimendam, sed foeditatem quandam faciei & pravam scabiem & lichenes significandos pertinens.

Barbaris Medicis credentibus: humores pro doloribus excitandis, guttatim in articulos instillari, *Gutta* fuit nominata; nonnullis *Arthetica*, referente *Amato Iustano Centur. 4. curat. 45. pag. 253. Paracelso, de 7o lib. 1. cap. 2. Tatarus juncturarum* audit.

Quod pauperes quasi in odio habeat & raro propterea corripit, vocatur *ἡ ἀρθριτις*, & Germanis jocose *die Herren Krankheit*/ quia hi sunt sine laboribus, at venere & vino largius utuntur. Alias etiam apud Teutones, *das Zipperlein*/ *das Podagra*/ *die reissende Sicht in denen Gliedern*.

## CAP. II

*Περγματολογία, atque in specie realem arthritidis definitionem proponit.*

**A**rthritis est dolor articulorum omnium & quidem partium nervosarum & membranosarum, a defluxu humoris serosi, acris & tartarei, progressu temporis in topus abeuntis, & circa articulos nodos efficientis, ortus, per intervalla affligens, & motum liberum impediens.

Dolor loco generis positus formalem rationem exprimit. Qui cum sit symptoma, nec morbus, nec causa, dicendus erit, læsa enim adest actio partium sensui tactus destinatarum. Tametsi non usque sit inconveniens, si fluxio attendatur & tumor, ad morbum



5.  
morbum & inflammationem referri posse. *Vid. Gal. 6. apb. com.*  
*4. & P. Aëcius lib. 3. serm. 4. c. 9.*

Læsiō hæc non fit per plenariam ablationem, neque dimi-  
nutionem, sed per *depravationem* ejusdem; satis enim injucun-  
da, molesta ac tristis tunc adest sensatio, percepta quidem à ta-  
ctūs sensu, sed à ratione tanquam superiori facultate dijudicata.

Nec affectus hic saltem subsistit in efficiendâ hâc sensatio-  
ne ferè intolerabili, sed exinde quoq; producit impedimentum  
motionis liberæ, tandemque materiam peccantem ad articulos  
detrusam, pro varietate qualitatum & copiarum, in majores vel mi-  
nores nodos, tumores aut topfos vi caloris præternaturalis tunc  
præsentis, in motus præjudicium transmutat.

### CAP. III

De

### Subjecto.

**P**RINCIPALE SUBJECTUM sunt membranosa & sensu ta-  
ctūs præditæ articulorum partes, quæ radicali humido &  
vitali balsamo instructæ, sedem facultati sensitivæ concedunt,  
ab actione autem violentâ & destructivâ humorum peccanti-  
um dolorificam stimulationem, vellicationem & continui so-  
lutionem patiuntur, & hinc tristis earundem sensus, seu dolor.  
*Adequatum*, ipsi articuli, ad quarum constitutionem, acciden-  
tariò licet, prædictæ partes membranosa & nervosa requiran-  
tur.

*An ossa excludi mereantur*, cum sensu tactūs destituantur,  
meritò dubitatur. Recentiorum opinio est illa vitaliter per se  
sentire, animaliter verò quatenus amiciuntur partibus mem-  
branosis & nervosis, quæ etiam veterum fuit sententia. Unde et si  
in cavitationem articulorum ipsa quoque penetrat materia, uti et-  
iam voluit *Petrus Salins Diversus de affectibus particul. c. 6.* quin  
& *avētia* doceat mucore & unguine acetabula ossium ad mo-  
tum ordinarium non destitui, de cujus naturâ lege sis *Historiam*  
*Seri sanguinis Excellentissimi Dni Præsidis nostri, denuò typis ex-*  
*pressam:*

*pressam*: attamen inde minus oritur arthritis, nisi coacta una sint praedicta sensus tactus organa, adjunctæ nim. partes membranosa. Hoc modo nec ligamentis, nec cartilaginibus omnibus sensus doloris potest denegari, cum & utraque sint in ossium articulis & membranosâ veste non destituantur.

Nec concretionis materiae morbificæ, tophorum & nodorum locus alius quærendus. Probè siquidem notandum extrahas partes articulos firmantes & introeuntes, nullam propriè dictam fieri arthritidem, eo quod non omnis membranarum in partibus dolor hunc affectum constituat. Et licet non rarò erysipelatis in modum partes externe articulum ambientes sub primo invasionis initio corripiat, ad huc tamen arthritis dicendus non erit inde natus dolor, ceu alicubi docet *Galenus*.

Et hæc causa est, ob quam non solum partes sedem hanc constituentes, sed vicinæ quoque per consensum miserè affligantur, præcipuè verò cutis, quæ, ubi affectus aliquandiu duravit, incalescit & intumescit simul adeò, ut ægri vel levem etiam aëris commotionem plumulæve contactum tolerare nesciant.

Quod verò dolores alibi adeò valde non sæviant, quam in articulis, exinde procul dubio contingit, quod natura acres humores *sub* *de* *quæ* in articulum transfusos ejicere laborans, nec tamen exitum inveniens, materiam peccantem in angusto loco conclusam & concentratam quasi agitet & exerceat, quæqua versus impellendo, nec tamen viam expulsionis inveniendo. Ita enim fit quo humor influxus magis effervescat, & ferociâ suâ partes articuli membranosas, vellicet, extendat & continuò molestat.

In alia etiam loca humores istos quandoque diffundi, testatur experientia, & autoritas rationibus non destituta confirmat.

Si enim materia copiosa & cum impetu affluerit, jamque articulos repleverit, non vitio sibi vertit, quod reliquum habet in vicina transfundere; Quin sæpè ubi partes ignobiliores non sufficiunt, nobilioribus obtrudere, ex quo febre, dolore, tumore aliisque symptomatum generibus postea affliguntur.

## CAP. IV.

De

## Causa immediatâ &amp; mediatâ proximior, cum terminis à quo, &amp; per quem.

**C**AUSA IMMEDIATA est λύσις τῆς συνεχίας h.e. continui solutio, coherentiū, connatarum, sensibilibiumq; partium, magnitudine & celeritate conjuncta ἀρθρώως καὶ βιάως, confertim & cum impetu vellicans, distendens & dividens earundem unitatem.

Non tamen consummata est, neque in factio, sed jam inchoans, atque in fieri, juxta id quod dicitur ab Hippocrate, dolores tunc oriri & persentiri, *ὅτε τὰς ψύσεις τῶ πύς*, dum pus fit, *μὴ ὅ ἡγομένε*, non autem confecto, 2. apb. 47.

**M**EDIATA PROXIMIOR, influxio humoris, imprimis biliosi, falsi, serosi, acris & tartarei, viscerum vitio generati, aucti, & qualitate tum primâ tum secundâ, imò & specificâ peccantis, secundum id quod docetur à Galeno, dolores omnes tumorum soboles esse, 10. de composit. medic. per genera.

Generatur autem, si *Hepar* præcipuè caliditate & siccitate, nimia laborans non faciat officium suum in separando à genuino sanguine serosas, biliosas & alias excrementitias scorias, sed illas, unâ cum bono succo sorbendas arteriis committat.

Symbolum pariter suum *ventriculus* & *intestina* pravâ suâ & insufficienti coctione assumptorum contribuunt. Malo enim existente chylo, malusque fit cruor & sanguis.

Præterea *Lien* munere suo malè defungens multum ad arthritidis generationem facit, quando nimirum tartareas illas atque faculentas serositates quas recipere in se, elaborare, & quod inutile est separare debebat, sanguini admixtas esse finit; quod præcipuè fit in illis qui scorbuto, tumore sive alio lienis vitio affecti sunt.

Quid *Renes* & *Vesica* hic conferant, docent excreta, nec non

B

multo-

multoties exfecti ex renibus & vesicâ calculi, copiosaque hæc materia urinæ permista, quæ intermissâ excretionem debitâ, cum vitali liquore iterum conjuncta, non solum calculosorum, sed & arthriticorum, utpote magnam affinitatem inter se habentium dolorum mater evadit, adeò ut arthritidis sæpius in calculum, hic verò in arthritidem, transmissâ materiâ morbificâ ad articulos, mutetur.

*Uterus* ab *Aretæo* sexcentarum ærumnarum in foemina autor dictus, si & ipse quæ evacuare debet statis temporibus, non evacuat, ichores arthriticos massæ sanguineæ mediante circulatione communicat, quæ ad remotiores ceu debiliores partes protrusæ idem malum fovent.

*Via* per quas, mediante tractione & pulsione, ad articulos defertur materia hæc, sunt arteriæ, partibus articulorum nervosis & membranosis insertæ; quæ etiam manifestè instantibus arthriticis paroxysmis tumescere, incallescere, alienum & inordinatum pulsum & motum habere deprehenduntur. Ac primum enim fit affluxio, tam subito ipsum persentiri affectum, dolorificum hunc, aperte constat. Quo tempore si parti affectæ applicentur refrigerantia & repellentia, materia subito aliorum regurgitat, dolorque qui hæc in parte fuit, mox aliam affigit.

Quæ subitanea repulsio quod si introrsum vergat & ad cor se convertat, maxima inducit nec periculo mortis vacante symptomata, præsertim ubi Natura succumbens non valet vitiosum istum hospitem denuò à sede suâ arcere & ad extrema iterum propellere.

Quæ omnia etsi evidenter docent, humores in arteriis & venis contentos affectum hunc continere & fovere, constat tamen ipsa quoque *vasa lymphatica* laticem suum vitiosum articulis quoque communicare, porolumque partium harum habitum replere, distendere & molesto doloris sensu inficere.

Cæterum quod hæcenus de naturâ & origine materiæ peccantis arthritidis dictum est à dogmaticis, hoc *Chimici* etiam nonnulli adfirmant ab arte destillatoria rationibus desumptis.

9.  
tis. Ajunt enim, cum ob primævam terræ maledictionem, omnes aquæ, & terræ crescentia, & quæ iis vescuntur & satiantur animalia nobis tandem in cibum & potum inservientia, semper aliquid de vitiosâ & impurâ vel nitrosâ vel salino-sulphureâ aut aliâ, mineralium naturæ & saporis simili crudâ materiâ, hoc uberius, istud parcius, pro regionum, climatum, montium, vallium, mineralia habentium vel non habentium locorum diversitate, aut salis centralis, sive nitri naturæ conditione, attraherent, & illud, quod de his sumimus, viscera concoquentia si ritè disposita sint, à cruditatibus & scoriis tartareis ac nitrosis purgarent & separarent, in subtiliorem nutritionis gradum & spirituosum quid cogerent atque commutarent, purumque sic artibus admitterent, rem benè se habere; Econtrâ verò Natura, disturbatis tribus principiis systaticis labefactata, cum dictas impuritates non secerneret, sed de die in diem, illam salino sulphuream subtilem, volatilem, instar crySTALLINI splendentis nivis materiam &  $\text{S}$ um in sanguine cumularet, tandemque ad articulos, præsertim debiles ablegaret, tunc ibi, ab ejus vi igneâ, acri & constringenti, synoviam sive dulcem articulorum lympham exsiccari, & ad similitudinem lactis calidi, cui acetum infunditur, coagulari, & atrocitatem materiæ peccantis, prout species vel gradus salium & sulphurearum, tincturarum differunt, tanquam aqua fortis, vel spiritus urinæ, sive alumen, aut aliud sal acidum, urendo, pungendo, & vellendo exerceri.

Tartarum autem illam esse duplicem: *Resolutum*, qui appareat in sudoribus, urinis, lacrymis, pro varietate acridinis etiam distinctos dolores excitantem, & *solidum*, qualis in doliis vini, vel articulis, in lapideam aut cretaceam substantiam concrevit & adhærescit.

Secundum *Helmontium* acor peregrinus archeum irritans, mali hujus autor præcipuus statuitur, à quo spinæ illæ & tribuli lancinantes articulos.

Acidum effèrum pancreaticum exsuperans partibus nervosis inimicum effervescenzia inde suborta easdem parit molestias

stias, cumque alkalino principio impuro congregiendi topfos  
producit.

Idem facit tùm acidum tùm alkali Tachenianum retri-  
mentis tartareis conspurcatum & ad artus delatum.

*Mediate causa remotiores sunt Naturales, Non-Naturales &  
Præternaturales.*

Ex *NATURALIBUS* nativa articulorum dispositio  
debilis est, hæcque tùm hæreditaria, tùm connata, tùm adsciti-  
tia.

*Hereditaria* contrahitur quando parentes huic malo fue-  
runt obnoxii in eorumque sanguine & semine contagium ejus-  
modi latitat, quod postea in liberos transplantatur.

*Connata* est, si ipsi articuli in primâ conformatione ob  
accidens aliquod morbosum fiunt laxiores, molliores & ideò  
ad recipiendos humores affluentes promptiores.

*Adscititia* five occasionalis oritur ab externis erroribus.

Ad has itaque debilitatas & ignobiliore partes detru-  
dunt nobiliores & melius dispositæ quod sibi molestum est, nec  
ulterius perferre volunt, dumque debiles robore destitutæ illis  
repugnare non valent, id ipsum in se recipere retinereque co-  
guntur.

*SEXUM* quod attinet: Viri tentantur hoc malo faci-  
lius, rarius testante *Aretæo* mulieres, quæ tamen ob degene-  
rem vivendi luxum ab eo hodiè non ita immunes spectantur,  
adeò ut meritò *Celsus* in ipsas invehatur, quod *Hippocratem* mu-  
lieres & Evnuchi podagrâ laborantes mendacem effecerint. Si-  
quidem illæ non minus ac viri poculis certare jam assueverunt;  
ad quod accedit, quod etiam in venerem & iram valdè procli-  
ves, menstruisque retentis sapiùs onustæ vitam transigant.

Imò ipsi Evnuchi, propter desidiam, inexplebilem eda-  
citatem, generosorum vinorum immoderatam injurgitatio-  
nem, & exinde enatam dietam inordinatam, non excipi pos-  
sunt.

Inter *ÆTATES* censetur magis mali hujus ferax anno-  
sa, & ob calorem nativum jam decrecentem debiles partes for-  
tita.

tita. Inter rariora refertur ætas puerilis, non celebratis aphrodisiis. Puerum septennem podagricum vidit tamen *Paschalius*. Nos vidimus puerum XIII. annorum, qui ex multo vini usu sibi contraxerat chiragram.

II. Ex rebus *Non-Naturalibus* non ultimas ducit I. Aër, qui ejusmodi atomis arthritidem parientibus infestus secundum cœli, regionum, anni temporum vel tempestatum *αυτομαθία*, præsertim Vere & Autumno, dolores istos excitat, ut habetur apud *Colum 6. apb. 55*. Quod etiam adfirmare legitur *Paracelsus de morbis tartareis* scribens: *Quemadmodum vina in vasis, sic etiam ♀ in homine, paroxysmos tales efficiens, movetur verno tempore.* Quod & fieri docet, quando arborum flores & folia progerminant.

Astrales influxus accusatur, quando in horoscopo luminaria læduntur, ☿ ne, ☐ to, aut ♄ ne ♀ ni vel ♂ tis, & quidem, respectu cœlestium domorum vel figurarum: *Υ.Ϟ.Π.Ω.ι.ι.η.κ.* pro tempore vel diurno vel nocturno.

2. *Motus & Quies* nocent quatenus inordinate, perverse & immoderate celebrantur. Cum nimirum ob *exercitia* statim post sumptum cibum instituta alimentum crudum ad partes rapitur, indeque articuli enervantur, debilitantur, calor nativus dissipatur, causaque in illos translata morbifica agitur. *Otium* autem nimio humores vitiosi per cutis poros non ejecti cumulantur, & quasi stagnantes incalescunt, fermentantur, & tandem desævientes in tartarum coagulantur.

Ad quod etiam facit 3. *somnus*, præsertim meridianus, aut qui mox à peracto pastu instituitur, ubi coctio prima cruditates gignit à secundâ & tertiâ incorrigibiles.

*Intempestive Vigilia* calorem & spiritus à coctione ciborum avocant.

4. *Cibus & Potus* in quantitate & qualitate *ἀμετρία*, hydram hanc Lernæam generat excitat, diuque fovet. Nocent hic cibi acres, nimis salsi & calidi, duri, omnesque alii coctioni refractarii, ac multum tartari & feri acris habentes.

*Vina* generosa, subtilissimum, volatilem, & ad corporis penitissi-

penitissima penetrantem salem &  $\text{¶}$ um continentia, qualia sunt: Moravicum, Bohemicum, Austriacum, Francicum, Ungaricum &c.

5. *Excreta & Retenta* multum opus ad malum hoc conferunt. Suppressæ enim evacuationes tum naturales tum artificiales, quæ per hoc vel illud corporis emissarium fieri debebant, morbo materiam & nutrimentum suppeditant.

*Nimia Venus* robore nervos spoliât, sanguinemque spiritibus & nobiliori suâ parte, roscida, pingviori & quasi anodyno liquore privat, qui tenuior & acrior ad articulos deveniens, infirmam debilitatem & dispositionem ad malum hoc promptè recipiendum illis imprimit. Nam Venus Baccho nupta, certissima podagræ mater evadit.

6. *Animi patbemata*, imprimis terror & ira, quatenus massam sanguineam incendunt, valdè agitant ac commovent, adque partes debiliores fortiter propellunt, hoc modo creberrimas fluxiones podagricas causantur.

III. *Res præternaturales* quoque hujus mali promotores existunt. Inter cæteras intemperies principalis est calida & sicca.

Varii insuper morbi in arthritidem terminantur, nonnunquam febres, scorbutus, tormina viscerum, quando materiam ad extremitates rejiciunt; dolores idem nephritici, & calculosi affectus.

*Aræbus* etiam *supernaturalibus* quartâ veluti causarum remotarum classe, quæ arthritidem accersit, *fascina* & *veneficia* descendunt, de quibus *Chalderius* & *alii* legi consuli que protulerunt.

## CAP. V

### De

### Differentiis.

**G**eneris ratione, arthritidis alia est recens, & brevius; alia inveterata, & diutius affligens. Alia est remissior alia est intensior



13.  
tenior, alia cum tumore & inflammatione, alia planè nodosa  
& articulos incurvatos & immobiles reddens. Ex quibus, præfer-  
tim verò ex pollice pedis, cute disruptâ, aliquando exiit densus  
& glutinosus lentor, statim post exemptionem, chartæ illitus, in  
tophum concrevens. Nonnunquam materia cretacea, ut *Fore-*  
*sius habet lib. 29. observ. 10.* Tandem etiam multi lapilli calcem  
referentes.

Respectu *partis patientis sive subjecti*, alia est universalis  
in omnibus ferè articulis, alia particularis, hanc vel illam par-  
tem excrucians, veluti podagra, chiragra &c.

Pro varietate *causarum* quoque differt. Hinc alia est en-  
demia, alia hæreditaria, vel connata, vel adscititia &c.

## CAP. VI

### *Signa diagnostica adfert.*

**H**Æc arthritidis sunt vel *imminentis*, vel *incipientis*, vel *præ-*  
*sentis*.

*Imminentis* signa sunt: si non nullæ, vel omnes hæctenus e-  
numeratæ causæ præcesserint, & ægroti parentes podagrici fue-  
rint, ipseque æger venerus admodum, vel strenuus vini potator  
existat.

*Incipientis* communiter esse feruntur, si posthac aliquando  
articulorum horrorem, rigorem, obdormiscentiam, punctio-  
nem, dolorificam post levem aliquam compressionem sensa-  
tionem, stas temporibus inflammatorium & formicarum,  
morsui similem dolorem, ardorem &c. æger persentiat.

*Præsentis* ex miserimo ægri statu, molestissimis cruciati-  
bus, & articulis quasi catenis constrictis reapse apparent.

*Urina* insunt bullæ parvæ sibi impendentes, & spuma a-  
phrogalæ similis, dependentque in ejusdem urinæ reductione  
ad vitri latera minutissimi quasi capilli, quibus spiritus  $\ominus$  is  $\text{¶}$  i  
signa-

14.  
signaturam nervorum exprimit. Urina destillata in X<sup>o</sup> ☉  
exaltans hoc malum quoque significat.

*Causarum* ratione, signa facile innotescunt, cujus nimi-  
rum genii hæc vel illa causa morbifica sit.

## CAP. VII

### *Prognosin addit.*

**H**Æc triplicis generis communiter existit, *Salutis & Mortis,*  
*Temporis & durationis, & modi eventus,* desumpta vel ab  
essentialiter in hærentibus, vel ab effectibus, vel à causis.

Quamvis autem hoc malum miserabilis affectus sit, & vi-  
res doloribus & vigiliis immodicis valdè debilitet, ut tandem,  
si diu duret, ægri succumbant: tamen sæpè ad longævitatem,  
prodest, dum res nocivas, quæ alios periculosiores morbos ex-  
citarent, ab intrinseco, à nobilioribus visceribus, ad exteriores  
& minus principales partes, articulos nempe, per intervalla &  
certas periodos natura protrudit.

Quod si verò onere oppressa adeò succumbat, quo minus  
materiam peccantem amplius vel ejicere, & ne ab extrinsecis ad  
interiora recedens, delirium, sive tremorem cordis, difficul-  
tatem anhelitûs, sudorem frigidum & pulsûs parvitatem afferat,  
resistere possit, mors in propinquo erit.

Plerumque quidem lethalis non est; curatu attamen sa-  
tis difficilis; inveterata præsertim verissimum medicinæ oppro-  
brium, id quod aliquando propter medici imperitiam, quan-  
doque quod ægri morbum celant & alium prætexunt, sicque  
tempestivis remediis huic non occurrunt, sed per multos diætæ  
errores eundem confirmant, accidit.

Difficillimè sanatur, vel prorsus incurabilis est, ex laxati-  
one ligamentorû quæ unà contingit in hoc affectu laxatio, qua-  
rum luxationum periculosissima est quæ in ischio fit, eo quod  
os femoris, acetabulo materiâ tophaceâ repleto, non nisi se-  
ctiōe,

ctione, quæ dubiosissima, reponi possit, & topica non adeò ac alibi penetrent, unde magnâ perseverante nervorum & vasorum compressione, cruris claudicatio & contabescencia sequitur.

*Hereditaria, connata, quæ senilia corripit corpora*, multisque gravibus, insolitis atque periculosis symptomatibus stipata, vix unquam integrè aufertur. Interdum sibi met ipsi exitium & gravissima symptomata unâ parat ægrotus, intempestivis contra vehementissimum paroxysmum adhibitis stupefacientibus & repellentibus, quæ humores articulis affluentes ad nobiliora retrudunt.

Quæ à *causâ calidâ* fit difficilius curatur quàm à *frigidâ*, partim propter fortissimam in articulos impressionem & insinuationem, partim propter sævissima accidentia, ut sunt dolores atrocissimi, inflammationes, febres & vigiliæ, quibus totius corporis vires absumentur.

Aliquando etiam propter intolerabiles ejusmodi cruciatu agros sibi ipsis violentas manus iniecisse constat.

Recens arthritidis (DEI auxilio) per arcana singularia, [quale chemicum Parenti nostro dilectissimo ante non multum tempus, cogitatione & industriâ non communi eruere licuit.] & optimè præparata medicamenta, si modò patiens bonam diætam observet, sæpius totaliter eradicari potest.

Quod ipsum paroxysmum attinet, de hoc ita scribit Hippocrates 6. aph. 49. Οἷόςα ποδαγρικὰ νοσήματα γίνεται, ταῦτα ἀποφλεγμίνοντα ἐν τεσσαράκοντα ἡμέραισιν ἀποκαθίσταται: quibuscunque morbi podagrici sunt, iis sedatâ intrâ 40. dies inflammatione, finiuntur, si nimirum medicus, ut Galenus in commento addit, in curatione nihil deliquerit, & ægri obedientes fuerint.

Licet autem Hippocrates affectum hunc numeraverit inter longos morbos, lib. 1. de morbis, cum ait: *necesse est hos esse longos, tabem, intestinorum difficultatem, podagram, fluxiones, &c.* Utrumque tamen stare poterit, prout vel de toto cursu, vel de tempore saltem paroxysmi accipitur, utpote qui vel longior vel brevior est, pro illius qui eum continet humoris  
C quali-

qualitate vel quantitate, atque prout nunc tenuior nunc crassior est; item pro ætate & viribus ægri, robore patientis partibus & pro tempore anni.

*Modus Eventus* statuitur quadruplex.

*Primus & optimus est*, cum à naturâ & medicamentis resolvitur ac dissipatur materia ad articulos fluens, ut aliquando totum, aut magna tamen pars mali hujus abeat.

*Secundus & pessimus esse fertur*, quando arthritidis calor præternaturalis, tenuiorem & serosam partem dissipat & exsiccat, relictumque  $\ominus$  &  $\text{♀}$ um condensat, coagulat, figit & sic nodos atque callos irrefolubiles efficit.

*Tertius & rarissimus est*, mutatione nimirum materiæ in aliquid puri simile, & cum ichorosum, saniosum, salum exsudans extra carnem & cutem erodit. Verè autem hæc materia non putrescit, propter  $\ominus$   $\text{♀}$ i copiosum, serumque admixtum.

*Quartus* terminat malum transferendo materiam, vel ad nobiliores, vel ad ignobiliores partes. Ad interiora & nobiliora viscera, pulmones, cor, cerebrum &c. si transfertur ibique permanet, ut plurimum lethalis ista erit *νεκράσις*. Sin ad exteriora vel ignobiliora, tunc salutem portendit. Bonum etiam est supervenire varices, alvi fluxum, aut simile quid.

## CAPUT ULTIMUM

### *Curationem arthritidis absolvit.*

**C**uratio affectus hujus, aliorum more, nititur indicationibus & materiâ auxiliorum.

*Indicationis Curatoria* est præsens malum ejusque causam continentem auferre, humores per vasa adfluentes derivare, articulis insitos autem discutere & resolvere, quin ipsum paro-

paroxyfimum quoque dolorificum atque concomitantia symptomata, nempe vigilias, calorem & tumorem mitigare, motus impedimentum avertere, & quantum possibile, nodos & tophos resolvere & eradicare.

*Præservatoria* occupata est circa novi affluxûs prohibitionem, & quomodo causæ morbificæ reliquæ in herbâ quasi suffocari queant, eliminando id quod quantitate, & alterando id quod qualitate nocere potest.

*Vitalis* vires cum totius, tum partium affectarum respicit, jubetque quod sanitatis superest per bona alimenta conservare, partes verò mittentes per medicamenta convenientia corrigere, quæ verò recipiunt, tum alimentis tum medicamentis competentibus corroborare & munire.

Materia auxilii ex triplici fonte usitato est petenda.

Ex *CHIRURGICO* primò *Venefectio* est. Cum itaque fomes & causa mali in massâ sanguineâ lateat, hæc autem in corpore & vasis abundans, vitioso motu commoveatur, & quasi ebulliat, & dolor ad affectas partes magis & magis materiam attrahat, ut inde arthritis augeatur vel febris succedat, non inconsultum erit, dummodo vires & ætas concomitantiaque symptomata admiserint, in principio venam ad affectam partem oppositam aperire; Nimirum si dolor in dextro brachio hæreat, venam sinistri, & è contra; si verò pes vel coxendix laboret, è directo positam, nempe in ejusdem latere cubiti aut etiam poplitis vel malleoli, Ischiadicam dictam, aliquando secundum *Platerum* in crure sano secare, & justam non nimiam sanguinis quantitatem extrahere, semperque in hoc opere ad bonam cœli constellationem respicere.

Nullâ autem præsentem plethorâ nec aliâ urgente necessitate, infrugiferum erit hocce genus præsidii suadere velle, utpote ex quo calor natus & spiritus qui malum vincere, & materiam in tophos abeuntem atque contracturam efficientem dissolvere & ejicere debebant, bonâ sui parte absumuntur & dissipantur.

Venefectionis vicem implent *Cucurbitule scarificatæ,*

incipientibus doloribus, & quidem [ si felicius operari debeant ] ipsâ plenilunii horâ appositæ & sanguine iis extracto, collecto, vitreæque tabulæ illito & in formicarum acervum defosso; hoc enim devorato dolor cessat.

Alias nota est historia *Philandri à Sitwaldt*, cujus eadem in re meminit suis in *Visionibus Satyricis*.

*Hirudines* commodè applicantur hæmorrhoidum fluxui assuetis, si malum inde fomitem acceperit.

*Fonticuli* ritè excitati ad præservationem conferunt.

*Friktiones* revulsionis & discussionis; *Vesicantia* serie evacuationis ergò nonnunquam admittuntur; *Ustio* verò & *penarum excisio*, vix ullum moderno seculo locum inveniunt.

II. Ex *PHARMACEUTICO* medicamentorum, variorum evacuantium & alterantium simplicium & compositorum, veterum & recentiorum suppellex desumitur. Hic cum satis prolixè tractetur à Practicis, eorumque ferè innumera volumina sint referta præscriptionibus, formulisque, talibus autem in curatione non absolutè insistendum, sed ad circumstantias & accidentia, quæ præsentis agri arthritici status exigit, ante omnia respiciendum: placuit paucissima solum ex eo referre medicamentorum huc pertinentium genere.

*Purgantia* quod attinet, neque in principio neque in augmento dolorum ( nisi lenissima ) tutè adhiberi possunt; si quidem ex forti, humorum concitatione paroxysmus magis exacerbatur. Sumenda igitur sunt antè vel post invasionem, præmissis *lenientibus & præparantibus*.

Lenienstale præscribatur:

<i>Ri.</i>	<i>Fol. fennæ Alexandr. s. s.</i>	$\mathfrak{z}i$ .
	<i>Rad. rhabarbari indici</i>	$\mathfrak{z}B$ .
	<i>polypod.</i>	$\mathfrak{z}B$ .
	<i>Sem. anisi &amp; fœniculi ã.</i>	$\mathfrak{z}ij$ .
	<i>Passul. minor.</i>	$\mathfrak{z}iij$ .

Coquantur in vase clauso cum aquâ fontanâ  $\mathfrak{lb}ij$  ad tertiam partem consumptionem. Sumantur deinde horis matutinis

tinis ℥iij. repetatur dosis donec leniter subducatur alvus. Plura, exigente necessitate, componi poterunt ex crystallis ☿i, Meccoacannâ, cassiâ, sirupis solutivis & aliis multis.

Aloëtica in omni podagrâ adhiberi poterunt præservativè & si alvus sit adstricta. Exemplo sunt pilulæ aloëphanginae & Francofurtenses.

Clysteres lenientes commodè quoque admittuntur, quorum suppellex nota.

Ad Preparationem & incisionem humorum sumi consueverunt salia chamædryos, chamæpitkyos, succini volatile, juniperi vel resta bovis, cum saccharo mixta, dosi gr. XVI. vel XVIII.

Validiora purgantia ex arcubus chemicorum petita Antimoniata & Srialia sunt, ritè tamen præparata. Veteres ex dogmaticis Scammonio, Gratiolâ, Helleboro, Turpetho &c. utebantur. Landantur pilulæ de hermodactyl. quas etiam approbat Paracelsus. Mitiora tamen plerumque commendantur. e. g.

Rx. magisterii gialapii,  
crystall. ☿i. ʒ. gr. IX.  
ol. anis. & fœnic. ʒ. gut. ij.  
M. f. pulvis.

Sudorifera in hoc affectu æstimantur valdè utilia, ne tamen sint nimis calida. In usum hic veniunt Magisterium C. C. phil. calcinatum & Spiritus. Tinctura bezoardica. ☿. diaphoret. Extractum rad. sarsaparill. Magno quondam apud Hispanos in usu fuit decoctum chinæ & sarsaparillæ. Ne tamen impuro existente dentur corpore.

Diuretica pariter profunt. In quo casu præstat adhibere spiritum juniperi & fructus cynosbati cum aquâ petroselini temperatum. Medicamenta ex terebinthinâ parata idem pollicentur. Sp. ☉. ☉. ☉ cum sale volatili urinæ impregnatus. Tinct. ☿i. &c.

De salivali Curatione per ὑδράργυρον, velle cuique suum relinquatur.

*Alterantia* nunc sequuntur, quæ manifestis & appropriatis viribus hostem hunc respiciunt expellendum.

Exemplum tale sit,

℞. *Conserv. violar. purp.*  
*ros. rubr.*

*borrag.*

*anthos* ā. ℥jss.

*Magist. perl. & corall.* ā. ℥ss.

*Tinct. corall.* ℥j.

*Violar.* q. s.

*Cum Sp. ☉ limediocriter acidulandum.*

*F. Electuar. Dos. quantit. Nuc. jugland.*

Inter *specifica* numerantur varii spiritus compositi, aquæ & balsami antiarthritici & antipodagrici.

*Marrubium, chamadr. rad. filicis & pentaphylli* cum musto fermentata quidam extollunt, ut & spiritum *Mumie*. Nonnulli pulverem *florum cichorii, saxifragam & betonicam*; alii *arcantum ex scarabæis caruleis* paratum laudant.

Quæ ex ♀o conficiuntur, illa hic merito locum suum inveniunt. *Tinctura martis, & antimonii* à multis commendantur.

A *Narcoticis* abstinendum, nisi summa urgeat necessitas; secus adhiberi possunt *laudanum opiatum & magisterium anodynum*, hoc in dos. ad gr. V. illud ad gr. iij. Quidam usi fuisse *oleo hyosciami*. Cavendum à repellentibus externis.

Cæterum dolores *lenientia* non sunt rejicienda. Commendatur *balsamum antipodagricum Pansa. & Riverii* cataplasma sequens:

℞. *Medulle panis albi in lacte muliebri*

*vel caprino decocta* ℥ss.

*pulpa cassia* ℥iij.

Exaltetur modico croci, imponatur loco dolenti. Juxta observationes *Bartholini & Borelli*, dolores etiam permulcentur catellis cuti concoloribus, membris affectis appositis. Dicunt etiam hosce catellos, primâ vice accedente arthritide, locum



locum calentem & dolentem butyro illitum delambentes, ma-  
lum auferre.

*Discutientia* nonnulla promptam opem adferre solent,  
qualia sunt: *Spiritus* \* . ⊖ . ⊕ . fl. \* . *Spiritus vini camphora-*  
*tus* & *lumbricatus*, item *Sp.* & ⊖ *volat.* ☐ *a.* In urbe Chemni-  
tium dictâ Misniæ superioris non incelebri, arthritidis quasi en-  
demica esse deprehenditur, variis tamen stipata symptomati-  
bus, ut proinde non omnibus unum proffit anodynum auxili-  
um. Utebantur alii stercore bubulo recenti, calefacto tamen,  
quo partem dolentem circumdabant; Quidam muria haren-  
gorum, quidam carne bubulâ recenter maçtatâ, phlegmate  
⊕ li, calente sanguine cervino, Lapide medicamentofo Crol-  
lii, & Spiritu ⊖ is \* ci alii, referente *Excellentissimo Domino*  
*Præside.*

*Emplastrum* topthorum curationi, quæ quidem satis ambi-  
gua & rara, inservientia, copiosè reperiuntur apud Athores  
adnotata, quorum usus medici prudentis consilio relinquitur.

*Thermæ* ne admittantur nisi prius probè purgato corpo-  
re & examinatis omnibus tum constitutionis agrotantis, tum  
affectûs causarum conditionibus.

De *Transplantatione* & *Curatione per magnetismum*, va-  
riæ foventur opiniones, quæ non profus sunt de nihilo, si su-  
perstitio abfuerit.

### III. *Diæta*

Cum multum conferat ad curationem & præservatio-  
nem, meritò eâ utendum est. Hæc autem in rectâ atque le-  
gitimâ rerum sex non-naturalium administratione consistit,  
quarum aliæ ad *naturalem*, aliæ ad *vitalem*, aliæ ad *animalem*  
diætam referri merentur. Quod ergo *Naturalem diætam* at-  
tinet, omnis vitanda ciborum nimia ingestio. Inedia enim  
multos ab hoc malo liberavit. *Cibi* verò sint boni succi, & fa-  
cilis coctionis. E contra mensâ exulent omnes crudi, fumo  
indurati, nimis salsi, & ex carnibus pennatorum quorundam  
& aquatiliam venientes, palustri loco degentes aut victu pra-  
vo utentes.

*Potus*

*Potus* fit cerevisia probè defecata, bonæ notæ, nec nimis recens, neque vetusta nimis.

*Vinum* extra prandium & cœnam admittatur nullum. Probatur quod nimis calidum non est, nec acre aut tartaro copioso abundans. Laudem idè meretur *fenense* & quod *ὄλιγδοφορον* vocatur.

In *Vitali* Aër fugiendus est siccus, & qui hos morbos auget, aquilonius utpote qui poros constringit, item austrinus qui destillationes excitat; eligendus autem purus & temperatus, non frigidus, sique talis naturâ haberi nequeat, arte comparandus è lignis accensis (vaveolentibus, herbis ac floribus temperatis, vino, aquis destillatis &c.

*Animi Pathemata* moderata juvant. Immoderata præsertim *terror* & *ira* nocent. Leguntur tamen nonnulli terrore improvise correpti, aliquando longo tempore ab hoc affectu immunes exstitisse.

Perceptionem molesti doloris temperat Musicæ suavissimæ concentus adnuente *Theophrasto*.

*Animalis* (vadet 1. *somnum* tempestivum, modo, loco, tempore. 2. ante cibum mediocrem *motum* institutum. 3. naturales *excretiones* autè per urinas, sudores, alvum aut hæmorrhoides in suo cursu servare integras.

Dissvadentur *vigilia* nimix, ut & *otium* & *quies*.

Diligenter abhorre à *Venere* è re ægri oppidò est, quæ frequenter arthricos & calculosos in ipso paroxysmo quidem stimulat, toties autem, quoties per acta est, jucunditatem atrocissimâ mercede compensat.

DEO SOLI SIT LAUS  
ET GLORIA.





3  
ULB Halle  
004 795 92X  


SB

VD 17







B.I.G.

Farbkarte #13

Blue Cyan Green Yellow Red Magenta White 3/Color Black

1671, 23 29 23

REGENTE!  
*itate illustris & gra-  
tis Medicæ in Athe-  
florentissimo,*

ERANTE  
IRO  
*mo atque Experientissimo*

**THEODORO**  
Doctore longè ceber-  
P. famigeratissimo,

*ÆVITERNUM DEVENERANDO,*  
Ianc

**M INAUGURALEM**

**RITIDE,**

RO  
Honoribus, Privilegiisque  
**RALIBUS**

*ic legitimo consequendis,*  
*bris, M. DC. LXXI,*

**IO MAJORI**  
*pomeridianis*  
*mini submittit*

**ORUS Richter/**  
*lufatus.*

**ris NISIANIS.**